DE CLERICO AEGROTANTE vel Debilitato, Theses Canonicæ,
Quas
Dei Opt. Max. auxiliante gratia.


PERMISSV ETIAM, SVBQVE PRAESIDIO NOBILISSIMORVM CONSVLTISSIMORVMQVE VIrorum Doctorum Amplissimi Collegij Iuridici Archiducalis Academiæ Friburgensis celeberrimæ, patrum & Antecessorum:

Et inprimis D. Christophori Angerer eiusdem facultatis Decani spectatissimi, legumq; Professoris Ordinarij

Confirmare & tueri conabitur mense Ianuario, die 21. horis ac loco consuetis.

V. M. I.

M. Theobaldus Heningius Dammerkirchensis.





Friburgi Brisgoiæ, Anno
M. D. LXXXIX.

REVERE

O, DOMIN

Ensingen, &

Ferdin

T
na
à
eg
ad excellente
ditatem: sic
natur, in hisc
menta, vt m
mum quoq
etate, & pu
garem, hun
bilissimam
me valuit
tanti soleb
ea demùm
autempler
gratiam, v
num, & co
tamen, q
labi, cum
vt egere v
naturæ lil
soleat & p
ximè sit p
ratio ipsa

REVERENDO, CLARISSIMOQVE

VIRO, DOMINO IOANNI RASSERO, PRAEPOSITO IN Enschingen, & Ecclesiæ Ensisheimianæ Rectori, Serenissimiq; Principis Ferdinandi Austriæ Archiducis consiliario dignissimo, Mecœnati suo reuerenter colendo

S. D.



T est præclarum (Reuerende Domine Mecœnas) in ea arte potissimùm excellere, quæ nos à rerum humilium studiò deducit ad mores egregios, & ab his quæ profanis oculis patent, ad excellentem diuinarum legum, canonumq; vocat cupiditatem: sic ea cognoscere, quibus ad illam laudem peruenitur, in hisq; cognoscendis optimorum virorum experiri merita, vt maximum quiddam, ita difficillimum, ac rarissimum quoque. Sunt etenim multa, quæ à prima statim ætate, & puerilibus quasi exordijs studia mea non ad vulgarem, humilemq; artem, sed talem, & illarum propè nobilissimam conferre monuerunt, tua verò authoritas apud me valuit plurimum, quam ego tum, & hodie amplius, tanti solebam facere, vt quamcunq; probauerat rationem, ea demùm vtilis mihi, & honesta videbatur esse. Quòd autem plerisq; dandi beneficij eiusmodi sit ratio, vt eandem gratiam, vel eam cum fœnore recipiant: fortunam hominum, & conditionem potiùs isti spectare videntur. Non est tamen, quod quisquam arbitretur, vel in hoc Reuer: T. labi, cum & rarissimè quidem contingat, cuiusquam opera vt egere videatur, quia tamen quamplurimis ob eximiam naturæ liberalitatem, atque amplitudinem benignè facere soleat & possit, cum de omnibus ad benè merendum maximè sit propensa. Ad quod enim confirmauit eam primò ratio ipsa, alit religionis obseruantia vera, pietasq; penè in-

credibilis. Nam hæc est aliarũ virtutum quę in R.T. multæ sunt, quasi princeps, & Regina quędam. De prudentia, fide, ac humanitate, ne videar assentari, nihil dicam, nec de liberalitate quidem, quæ tamen ita nota est, vt non qui eam laudet assentator, sed qui non laudet, maleuolus existimetur. Quæ omnia, maximè verò humanitas & beneficentia, in me tuendo tanta fuerũt, vt non videam sanè qui possint in vllo esse maiora. Etsi verò nec minima quidem hic percenseam; ijs tamen respondere, foret mihi impossibile. An non, cum primùm Ensishemianæ scholæ inter alios suæ disciplinæ alumnos, Heningium quoque numerare cœpissent, eundem continuè, non vulgari (vt solent) amore, sed summa etiam beneuolentia complecti R. T. cœpit? ac ingenuarum artium exordia, quæ plerunque incipientibus difficilia, & amara consueuerunt esse, ea non solùm facilia mihi, sed pulcherrimis præmijs alliciendo, quoque reddidit iucundissima; quiq; plus curæ & sollicitudinis me iuuando susceperit, nemo fuit. Vnde certè effecit R. T. vt ibidem tantò alacrius Logicarũ artium studia prosequerer ac eorum cupiditate flagrarem ardentius, quantò apud me R.T. quam reliquorum omnium consilia fuerunt, & ampliora & veneranda nimis. Cumq; demùm altiora philosophiæ contemplari, ac olim vtriusq; Reipublicæ Christianæ exitijs, malisq; mederi, & impendentibus calamitatibus occurrere, cogitarem diligentius: hanc præ cæteris Academiam, & sancta religione & summorum virorum fama, virtuteque florentissimam R. T. instigante eligere volui, quod Reuerentia Tua antiquius aut maius esse quicquam fatebatur, eamque mihi colendam commendasset vnice, illud, cum nihil magnificentius mihi, studijs verò optatius cadere potuerit, vt debui, facio libentius. Verùm cum in illa.

ſlla opinione, propoſitoq́;, etiamnum hodie permaneam, in quo ſi labore, ſtudio & diligentia profici quicquam poteſt, vt certè poteſt; magnopere ſpero fore, vt neque Reuer: Tua officij & humanitatis in admonendo, neq; liberalitatis in adiuuando pœniteat. In cuius rei quaſi ſpecimen quoddam, extabunt, Theſes iſtæ Canonicæ, ingenij mei teſtimonium perexiguum. Quo tamen conſtaret generoſa mente indignum atque turpe me exiſtimaſſe, nunquam gratum exhibere ijs, quibus deberetur plurimùm. Quòd verò hunc meum conatum tandem poſt binas juris ciuilis diſputationes publicè habitas, ſub nominis R.T. titulo divulgandum cenſuerim, nihil eſt, quod ab officio, aut natura mea diſcrepet. Quomodo enim ignoraſſem, vel ſi quid, in tanta etiam ſtudiorum meorum contentione meditarer ſanctius, aut tractandum hiſce temporibus afflictiſſimis ſumerem aptius, illud non & perſonæ, & dignitati tuæ conuenientiſſimū fore? Et hoc plus habui cauſæ, quod menſe vix tum elapſo, magno cum honore, & Eccleſiæ commodo, in R.T. quoque viſitationis munus collatum ſit: Vbi in Clericorum mores, vitam, corporis habitum, deformitatem, & cultum reliquum curioſius inquirere, à Sanctiſſimis Eccleſiæ legibus diſcedentes, iure quodam repoſcere, multos cohortatione, doctrina, nonnullos lenitate quadam ad meliora conuertere, omnes verò in fidei Catholicæ propagatione, diuiniſque miniſterijs alacriores reddere, hortari: fuit hæc ſollicitudo Reuerentiæ Tuæ & vtinam, quam facilè nouerunt, tam libenter imitarentur multi. Quare rogo vehementer, vt qualecunq; hoc meum ſit ſtudium R. T. æquo accipiat animo. Siq; hanc meam diligentiam probari ſentiam, ſanè meos labores non exiguo fructu compenſatos exiſtimabo, ac fiet, vt aliquando maio-

ra,

ra quoque dare, eodem pergam ſtudio: illumque dolorem quem nunc ex difficultate capio remunerandi, ſi non tollat, minuat certè. Vt vt tamen res iſta minima videatur eſſe, pro amplitudine eorum, quæ à me cumulatè quidē repeti poſſent, ſed vt ſpero, muneris mei (aut ſi Chriſtiano more huicq; tempori congruentius loqui liceat) καὶ μνημόσυνον, ſtrenæque exiguitatem humanitatis magnitudo, propenſæq; voluntatis candor ſubleuabit: Et vt R. T. me, ſtudiaque mea tueri, tuendoq; augere clementer ac in poſterum dignetur, precor officioſè. Deus Opt. Max. R. Tuam quam diutiſſimè incolumem ſeruet. Datæ Friburg: Briſgoiæ: poſtridie Nonarum Ianuarij.

R. T.

Obſeruantiſſimus cliens

Theobaldus Hening.

Thesis prima.



CVM omnino deceat in sortem domini vocatos, animum, vitam, moresq́; suos ita componere, vt nihil nisi graue, moderatum, ac religione dignum præ se ferant; sic etiam, quo maiore cum ornamento, vtilitateq́; in ecclesia Dei, & ministerijs eiusdem versari, esseq́; poßint, in his sacri canones, deformitatem, & alia corporis vitia vehementius quoq́; despexerunt.

II.

Quia vero integritas Præsidentium salus optima sit subditorum, & grauius nusquam aliquid ruat, quam si non habeat substantem: Ideo de Episcopis primo, tanquã primis, & in culmine Clericorum positis, errores aliorũ spectantes, hoc sequenti agemus ordine.

III.

Hi nimirum (aut si ampliore honorum titulo quidam præfulgeant) cum vel senio, grauiq́; valetudine corporali, alionè impedimento fuerint impediti perpetuò, vt amplius ad ecclesiæ gubernacula sedere, populoq́; prodesse nequeant, rectè quidem (nullo id iure prohibente) ab officio desistere possunt.

IIII.

Tum tamen de sui consilio, ac Capituli, vel maioris partis eiusdem consensu, & communi voto, vnum, vel duos Coadiutores assumere, ijsq́; Cathedram committentes, conueniant celerrimè.

V.

Sin vero Episcopum, turbidis animorum motibus à ratione auersum consilijsq́; deuium esse, vt nec velle, vel nolle posse, constaret: Idem Capitulum, vel duæ eius partes in locum personæ sic afflictæ Coadiutorem designare prouidè, diligenterq́; cogitabunt.

Verum,

VI.

Verum, cum absq; sedis Apostolicæ authoritate, hic aliquid attentari, temerarium fuerit; ita sine ea facta, iuris firmitatem nullam haberent.

VII.

Adeoq; vt licet Metropolitanus, summam aliâs potestatem prouinciæ subiectæ, & Episcoporum suorum habens, Coadiutorem dare vellet (vbi etiam necessitas exigeret) minimè posset.

VIII.

Vnde si Episcopus, tanta etiam corporis imbecillitate oppressus, confirmatoq; morbo viribus totus exhaustus, Coadiutorem assumere, vel habere nolit: Tunc Capitulum, quam citò poterit omnes Antistetis, Ecclesiæq; conditiones, & circumstantias vniuersas Summo Pontifici denunciabit.

IX.

Ab eodem (omni alia penitus cessante innouatione) humiliter expectaturi, quid super hoc contigerit ordinari.

X.

Et ideo cum Episcopis ab Apostolo dictum sit, vt vigilent, in omnibus laborent, & ministerium suum fideliter adimpleant, sacris canonibus quoq; constitutũ est, vt gregem suum custodiant, nunquam mercenariorum more deserant, aut sollicitudine temporalium vagentur frequentius.

XI.

Nam si huius necessitudinis, salutisq; obliti, aliauè iusta causa cessante, sex mensibus continuis extra diecæsin morando abfuerint, quartæ partis fructuum vnius anni, pœnam ipso iure incurrent,

XII.

Vel cum diutius Commissorum curam habere negligant, ac per alios quoq; sex menses in huiusmodi perseuerauerint absentia, aliam quartam partem fructuum, eo ipso quoq; amittant.

Imò

XIII.

Imò, quod maius est, fructus etiam illos, quos pro rata temporis absentiæ suos facerent, pura mente, nec sine conscientiæ suspicione (vbi alia non sequuta sit declaratio) seruare haud possent.

XIIII.

Eò facilius iam concludendum, colligendaq; sententia, quam grauem omnipotentis Dei concitent iram, ac ob id quoq; maiorem sacrorum canonum mereantur indignationem, qui tardius ad oues suas redeunt, nihilq; curæ sufferunt.

XV.

Quam ergo pœnam loci Superior, ceu Ordinarius pauperibus erogare, aut ad ecclesiæ fabricam, aliaq; pia loca conseruanda, referre, summa æquitatis ratione, seduloq; curabit.

XVI.

Porrò, si nec tum propriæ salutis tantum memores, in aliquibus talis adhuc contumacia cresceret; Seueriori quoq; canonum censura in eos animaduerti necesse foret: Ita, quod Metropolitanus ipse sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda infra tres menses hæc omnia Romano Pontifici teneatur intimare.

XVII.

Qui in ipsos absentes, prout cuiusq; maior aut minor culpa exegerit, supremæ suæ sedis authoritate attendet, siq; nouerit expedire, ecclesiis ipsis de pastoribus aliis, ac vtilioribus prouidere poterit.

XVIII.

Ideoq;, cum valdè periculosum sit, in rebus diuinis, vel consulto attentare aliquid: committendum ergo minimè, Episcopum ab aliis, quam potestate pontificia ecclesiæ vinculo separari, alteriq; eo adhuc superstite dignitatem eius conferre, vllo iure posse.

XIX.

Hinc, licet eos, qui dominici gregis semel susceperunt curam, sollicitudinemq;, ab administratione resilire non facile oporteat, ne accepti talenti pulchritudo deleatur, certis tamen de causis iuri suo cedere, & renunciare possunt.

B *Quibus*

XX.

Quibus deinceps, ne custodia pastoralis gregi fidelium desit longius, nouos subordinari decet Episcopos, ab his scilicet quorum alias sede vacante, ecclesiæ prouidentum erat.

XXI.

Idem dicendum de ijs, qui non sponte officio sunt liberati, sed quibus vita (virtutis neglecto studio) scelerum turpitudine & flagitiorum conuicta prauitate, dignitatē ademit Episcopalem.

XXII.

Cumq; iure inconueniens sit, aliquèm proprijs militare stipendijs, meritò Sanctorum patrum decretis inductum est, Coadiutori de prouentibus Prælatorum, quorum sc: assumpserint præsidia ferre subueniendum esse.

XXIII.

Quia tamen Ordinario, quousq; mortalitatem experiatur de redditibus sit prouidendum; sumptus isti tales erunt, ne sc: egeat ipse, moderati & sufficientes.

XXIIII.

Interim vero, maximè eum nouisse oportet, officium Coadiutoris summa diligentia semper esse faciundum, & anteponenda commoda damnis, sibiq; rerum ecclesiasticarum alienationi consentire, prohiberi penitus.

XXV.

Rationem enim non solum Prælatis ipsis (si sanæ mentis postea extiterint) ac capitulis eorundem, sed & ipsorum successoribus (si hoc antea non fecerint) plenariam redditurī.

XXVI.

Num vero beneficia conferre, aliaq; huius generis expedire queat (qui alienare sit prohibitus) sententiæ Canonistarum variæ sunt: Nos tamen disputandi, veritatisq; habendæ gratia, conferre posse tenebimus.

XXVII.

Haud minorem in alijs habiturum potestatem existimantes, cum Episcopalem Iurisdictionem exercere, pontificalia administrare, & similibus huius eminentissimi ordinis omnibus, fungi possit.

Vnde

XXVIII.

Vnde cum Laicos in spiritualibus, rebusq; commercio, & vsu hominum penitus exemtis versari dedeceat. Ideo Coadiutores dari posse (alijs etiam aduersi plurimum molientibus) rectè negandum sumpsimus,

XXIX.

Aliud tamen in Religiosis obseruari non ambigentes, etiamsi strictioribus viuendi regulis, lociq; solitudini addictos esse constet, ab hoc officio prohiberi, iure certo cautum non inueniri.

XXX.

Multum iterum dißimilis est à prioribus hic casus, quando fœminam viro, virumq; fœminæ substituendum, diffitemur, rectius tamen sensisse visi, Abbatissæ fœminam aliam quoq; surrogari, concedentes.

XXXI.

Paruo admodum nunc labore, eadem ferè, quæ de Episcopis (supremos nimirum Clericorum titulos referentibus) breuiter à nobis comprehensa sunt: De inferioribus quoq; prælatis ac personis ecclesiasticis reliquis, dici posse, progrediendo asseremus.

XXXII.

Nam cum graue sit afflicto afflictionem dare aliã. Non ergo ob id Clericũ, quem ecclesiæ suæ deseruire prohibet infirmitas, stipendijs suis consuetis priuari, sed integrè de redditibus, prout in sanitate respondere, iuris & humanius erit.

XXXIII.

Neq; difficultatem habet, siue id de præbendis ipsis commodisq; beneficiorum, aut quotidianis distributionibus simul accipi arbitremur.

XXXIIII.

Verum cum maxima deformitas in Clero nonnunquam generet scandalum populo. Huic igitur cui medietas palmæ cum duobus digitis abscissa est, missam celebrare, Pontificum interdictum est consilijs, licet cæteris sacerdotalibus quidem fungi poßit.

XXXV.

Quantò magis ergo prædictis standum erit, si quis integra manu mutilatus, fraudulenter tamen ad dignitatem aliquam promoueri se passus sit: tunc & dignitate, & ordinis officio prohiberi debet.

XXXVI.

Mitius iterum agendum cum eo, cui vngula tantum digiti esset auulsa, potens nihilominus ad tractandũ sacrum mysterium, aliudue non obstaret impedimentum canonicum; talis in officio turbandus non est.

XXXVII.

Diuersum denuo præcipere in eiusmodi Sacerdote, qui adeo claudus esset, vt ad altare sine baculo ad celebrandum ascendere, vel redire nequeat, facit rationis, & iuris nostri certa imago.

XXXVIII.

Sicut nihil à sententia canonum alienum erit, idem asseuerare, vel in eo sine causa virilia sibi abscindente, etiam inde mereri credens, is enim altaris mysterium tractare, aliaq; sui officij, non nisi cum Episcopi dispensatione expedire, maximoperè hortari, ac cohiberi debet.

XXXIX.

Ecclesiæ quoq; Rector vsq; adeo lepræ macula infectus, vt diuinis ministerijs adesse, populiq; salutem procurare nequeat vlterius, Coadiutoria tum manu; curam gerat animarum.

XL.

Aut si non magno absq; scandalo, populiq; abominatione inter homines versari, esseq; possit; omnibus alijs, & ab ipso ingressu ecclesiæ prohibendus est.

XLI.

Sed aliter se habet, vbi quis valetudinem quidem sentiret afflictam, nihil vero tristius inde formidans, puta quartana febri, æstuq; laboret, integram sui ordinis seruabit potestatem.

Vt igitur

XLII.

Vt igitur Clerici, ob corporis morbum vehementiorem, non rarò suorum officiorum administratione mouentur: Ita quoq; si grauiori afficiantur animi dolore, vel caduco tangantur morbo, aut epilentico victi, caderent.

XLIII.

Nedum hi, cum in terram accepti, falsis iterum spiritibus eliduntur, aut quolibet modo vexationis incursibus efferuntur, sacris audeant ministrare altaribus.

XLIIII.

Quibus tandem omnibus, donec vniuersæ carnis viam ingrediantur, iuxta facultates ecclesiæ, necessaria suppeditari debent.

XLV.

Verum, ordinario nè, vel Coadiutori ex fructibus, qui duobus non sufficiant, prouidendum sit? scire hic difficilius est, tum tamen (licet altissima quoq; Dd. ingenia hic immersa diffluant) textibus iuris conuenientius dixisse videbimur si ægrotanti subueniendum censeamus.

XLVI.

Officium vero Coadiutoris, siue maioris regiminis curam, siue minoris quoq; gesserit; exspirat, causa cessante prima, aut morte interueniente alterius.

XLVII.

Nec refert, an quis mortem naturalem, vel ciuilem, tantum interuenisse prætenderet: vt quia renunciauerit, beneficio cesserit, vel aliâs dignitate motus sit.

XLVIII.

Coadiutorem autem dare, cum futura successione non oportet; nisi in illo qualitates omnes synodalibus constitutionibus requisitas concurrere, causamq; Romano pontifici diligenter cognitam fuisse, manifestum esset.

XLIX.

Hinc exemplo perniciosum est, Episcopos, aliasuè personas ecclesiasticas priuato tantum iudicio sibi successorem eligere, aut in viuis, quandoq; alium instituere.

L.

Maximè demum canonibus inuisum est, ex humano affectu, & ambientium suggestionibus velle ecclesiæ columnas erigere, nec quos plus prodesse, sed pro quibus maiorum quispiam rogasse, vel amicos esse, constiterit.

QVAESTIO

I.

Cum cuiq; in rebus suis liceat, quod lubet, earumq; moderationem, & arbitrium habeat liberum, quærunt Canonistæ.

Num Clerici concubinis suis aliquid donare valeant?

II.

Et hoc naturæ, rationiq; conuenientissimum est asserere, parentum bona filiorum voto parari, dubium tamen est.

An ijdem Clerici spurios suos successores habeant?

Problema.

Vtrum deniq; iura proximis cognatis hæreditatem eorum adijciant?

FINIS.

Carmen Elegiacum

Ad

DOCTISSIMVM DOMINVM M.
Theobaldum Heningium V. I. Candidatum
suum familiarißimum amicitiæ
ergò scriptum.

PER

M. Adamum Cellarium Sanctimontanum.

EN Euplea venit longi exoptata laboris,
  Iamq; triumphandi proximus instat honor.
Sub lare priuato satis est latuisse silentem,
  Sensit Amyclæus damna tacendo diu.
Profer opes tandem, tibi quas Astræa reliquit,
  Doctrinæ titulos, & licitare nouos.
Rumpe moras, res est precij dignissima tanti,
  Magna quidem res est: maius at est precium.
Cumq; volent aditus aduersæ, claudere turmæ,
  I, contra fortis, neu meditare fugam.
Succinctus legum clypeo formidine nulla
  Oppones telis terga, quibusq; tua.
Tum Pallas ramum paccatæ tendet oliuæ,
  Semper pro turba stat Dea, namq; sua
Agmine doctorum medio statuisse trophæum,
  Ad summum laus est vsq; vehenda polum.
Si patriæ fines nunquam liquisset Achilles,
  Fama per Iliacos nec volitasset agros.
Hoc ita deuicto placitam certamine pacem
  Inter pugnaces plaude parasse manus.
Verus honor proprijs virtutis surgit ab ausis,
  Indigetes Themidos sedula cura facit.
Talia non superi vendunt Encomia nummis;
  Sed flectit solus numina sancta labor.

Idq; ego te solo certus vel teste probârim,
Cuius cingebas nocte dieq; latus
Ingenuas primis artes amplexus ab annis,
Taduit excubias non tenuisse tuas.
Et nunquam Charitum cessabas, visa fatebor,
Impiger ad clausas institor esse fores.
Hinc sine multiplici nolebas arte redire,
Alcmaeon quondam ceu fuit aere grauis.
Illarum doctrina iuuat spaciosi iuris amantes,
Et facili accessu praemia monstrat iter,
Hac aditus legum rectus fuit absq; recessu,
Quem multis aliâs deuia curua negant.
Hac duce passa tibi iuris sunt atria longa,
Hac cynosura facem praetulit atq; tibi:
Quocirca poteras melius contenta, parare
Quae sunt Caesareis, pontificumq; libris.
His fruere ergo, precor, studijs faeliciter, atq;
Amplifica patriae commoda quaeq; tuae.
Nec prius abscindat Lachesis tua stamina vitae
Quam veniant voto cuncta petita tuo.

FINIS.

